

*169. Instrumentum locationis seu
concessionis della chiesa della Ss. Trinità*

Basilicata University Press

—

Digital Humanities

Edizioni e data-bases digitali

sotto la direzione di Fulvio Delle Donne

*169. Instrumentum locationis seu
concessionis della chiesa della Ss. Trinità*

1553-06-29

(c. 293v) In nomine domini nostri Iesu Christi amen. Anno a nativitate ipsius millesimo quingentesimo quinquagesimo tertio, regnantibus serenissimis et catholicis principibus et invittissimis ac potentissimis dominis nostris Carolo de Austria <divina> favente gratia <rege> Romanorumque imperatore semper augusto ac Iohanna de Aragonia eius matre et eodem Carolo eius filio primogenito, eadem divina gratia regibus Hispaniarum, Castelle, Aragonum, utriusque Sicilie, Hierusalem, regnorum vero eorum matris et filii in hoc regno Sicilie citra farum anno trigesimo ottavo, inperii autem ab elettione trigesimo sexto feliciter amen, // (c. 294r) die vigesimo nono mensis iunii, undecime inditionis, Potentie et proprie intus venerabilem ecclesiam Sante Trinitatis.

Nos Cesar Mazarella de Potentia regius ad contrattus iudex, Nicolaus Grisius Serranus incola ditte Potentie civitatis publicus ubilibet per totum iddem regnum Sicilie citra farum regia autoritate notarius et testes subscripti ad hoc specialiter vocati et rogati, presenti scripto publico locationis terrarum instrumento fatemur, notumfacimus et testamur quod eodem prefato die coram nobis et in nostri presentia presentibus et personaliter constitutis venerabili domno Ioanne Andrea de Clappis ditte civitatis, procuratore generali ditte venerabilis ecclesie, agente ad infrascripta omnia et singula cum consensu et authoritate venerabilium domni Hieronimi de Tito archipresbiteri, domni Gratiani de Granno, domni Marii de Tricarico, domni Hieronimi de Gaudio, domni Hieronimi Zappe, domni Antonii Pallottini et domni Iannini de Iusualdo ditte civitatis, clericorum ditte ecclesie ibidem presentium in ditto loco ad

sonum campanelle congregatorum et nemine ipsorum discrepantium et ditto procuratori eorum consensum et auctoritatem dantium et prestantium, in toto presenti instrumento consentientibus prius in nos iudicem et notarium dittis procuratore et clericis tamquam in suos, cum sciverint et recognoverint nos suos non esse, nec nostre iurisdictioni subiettos, nostram iurisdictionem et officium in hac parte voluntarie prorogando ac se ipsos submittendo, parte ex una, et Troyano de Aprutio ditte civitatis, agente similiter ad infrascripta omnia et singula pro se ipso suisque // (c. 294v) heredibus et successoribus, parte ex altera, prefatus quidem venerabilis domnus Andreas procurator, auctoritate qua supra, sponte, non vi, dolo malo, metu ad id induttus, nulla impressione aut suasionem motus vel aliter circumventus, ut dixit, sed sua pura, mera, libera, gratuita et spontanea voluntate, in nostrum quorum supra iudicis, notarii et testium subscriptorum presentia, pro evidentibus utilitatibus ditte ecclesie locavit et concessit et titulo locationis et concessionis per fustem dedit et per fustem assignavit ditto Troyano ibidem presenti, conducenti, recipienti et stipulanti pro se, suis heredibus et successoribus, tenimentum unum terrarum ditte ecclesie situm et positum in territorio ditte civitatis ubi dicitur Pomari, confinatum versus orientem iuxta terras conventus et ecclesie Santi Francisci et terras domini Troyani de Ingannulo et iuxta flumen Rivisci, versus meridiem iuxta terras domni Gratiani de Gratiano et alios fines, per annos novem sequentes incipiendo a primo die mensis septembris primi futuri duodecime inditionis et quod presens locatio intelligatur fatta de triennio in triennium et non aliter nec alio modo, pro annua locatione frumenti et ordeï tumulorum centum et

viginti septem, silicet duas partes frumenti et tertiam partem ordei; quos frumenti et ordei tumulos centum viginti septem promisit idem Troyanus consignare ditto procuratori et qui pro tempore fuerit in ditta ecclesia quolibet anno tempore recolletionis in area in dittis terris // (c. 295r) de meliori frumento et ordeo quod perceperit in dittis terris, salvo tamen et reservato in ditto tenimento petio uno terrarum quod est ecclesie Sante Sophie. Quod tenimentum terrarum predittarum promisit idem procurator durante ditto tempore alteri non locare nec concedere et quod ditta locatio intelligatur fatta more solito, silicet franco de guerra et moria, patto adietto inter ipsas partes «che ditto procuratore et qui pro tempore fuerit in ditta ecclesia se possa piglare uno pezo per fare lino dovunque vorrà et placerà ad ipso procuratore», quare sic inter ipsas partes attum extitit et expresse conventum. Et pro maiori cautela et serenitate ditte ecclesie, dittus Troyanus fideiubsores et principales satisfattores dedit et prebuit Franciscum de Diano, Colellam de Casaletto et Gerardum Vizarrum ditte civitatis, presentes ibidem et sponte pro rata fideiubentes pro ditto Troyano et suis heredibus et successoribus ac promittentes in cambium in quem dittus Troyanus defecerit in ditta solutione, solvere et satisfacere de eorum propriis bonis renuntiantesque ditti fideiubsores «iuri» de primo et principali conveniendo, lege «sic» secunda «sic» Codice de fideiubsoribus, Autentice presenti et omnibus aliis legibus in favorem fideiubsorum introductis. Et proinde pro reali observatione omnium prefatorum, tam dittus principalis quam etiam et ditti fideiubsores obligaverunt se ipsos eorumque heredes et successores ac bona eorum omnia mobilia et stabilia seseque moventia,

presentia et futura et ubicumque existentia ac sita et posita, cuiuscumque vocabuli appellatione distincta // (c. 295v) ac etiam illa que in generali obligatione non veniunt sine speciali verborum expressione et quod etiam ad ignorata extendantur precario nomine et penam unciarum auri viginti quinque, medietate videlicet ipsius pene, si eam committi contingerit, regie curie vel alteri curie cuicumque ubi exinde reclamatio fatta fuerit vel querela et altera medietate pene eidem parti prefata observanti et non contravenienti et eius heredibus et successoribus integre persolvenda, totiens quotiens fuerit exinde quomodolibet contraventum, me predicto notario tamquam persona publica pro parte ditte curie et ipsis partibus presentibus pro se ipsis et eorum heredibus et successoribus una videlicet alteram <sic> et altera alteram <sic>, penam solemniter et legitime stipulantibus antedittam; qua pena commissa vel non commissa, soluta vel non soluta, exatta vel non exatta aut gratiose remissa, presens nihilominus instrumentum cum omnibus in eo contentis in suo semper robore et efficacia perseveret, rato manente patto cum refettione et integra restitutione omnium et singulorum dannorum expensarum et interesse litis et extra litem que fierent propterea quoquomodo, de quibus stari et credi debeat assertioni cum iuramento tantum <alterius> ipsarum partium prefata observantis et non contravenientis et eius heredum et successorum, nulla alia probatione quesita, ita quod reduci non possit ad arbitrium boni viri nec exinde quomodolibet appellari aut aliter reclamari. // (c. 296r) Que bona superius obligata ditte partes constituerunt se precario nomine tenere et possidere pro parte alterius ipsarum partium prefata observantis, non contravenientis et eius heredum et successorum,

quod precarium liceat et licitum sit unicuique ipsarum partium prefata observanti et non contraventienti eiusque heredum et successorum revocare et ad se advocare seu revocari facere, quandocumque eis placuerit, simpliciter vel solemniter et ut melius eis videbitur et placebit, nulla iuris et facti sollemnitate servata que in huiusmodi bonis capiendis, vendendis, alienandis vel insolutum tenendis et dandis de iure requiritur. Et renuntiaverunt partes ipse una videlicet alteri et altera alteri presenti, recipienti et stipulanti pro se suisque heredibus et successorum, voluntarie et expresse, ex certa eorum scientia, exceptioni doli mali, vis, metus et in factum, presentis non sic celebrati contrattus rei que prefato modo non geste seu aliter habite quam superius et inferius continetur et est expressum, exceptioni deceptionis et fraudis, privilegio fori, beneficio restitutionis in integrum, exceptioni et legi dicenti res ecclesiasticas pro tantum tempus locari non posse, conditioni indebite ob causam et sine causa, literis, privilegiis, cedulis, moratoriis et rescriptis inpetratis vel inpetrandis; et, ipsis inpetratis, promiserunt ditte partes non uti, nec ipsorum vigore aliquo se iuvare, usibus, consuetudinibus, constitutionibus capituli regni huius premissis vel ipsorum alicui // (c. 296v) adversantibus quoquomodo et omnibus aliis legibus, questionibus, compensationibus, exceptionibus, allegationibus et defensionibus iuris vel facti quibus et propterque ditte partes et eorum heredes et successores contra premissa vel ipsorum aliquod venire possint quovis modo aut ab ipsorum observantia se tueri; iuri dicenti generalem renuntiationem non valere, iuri quo cavetur quod ditto iuri renuntiari non possit ac omnibus aliis legibus, canonicis et civilibus, et auxiliis omnibus in corpore utriusque

iuris clausis existentibus et repertis; certiorate prius ditte partes, ut dixerunt, per iurisperitum de iuribus ipsis et effectibus eorundem ac beneficiis antequam de eisdem legibus renuntiarent. Pro quibus omnibus supradittis et infrascriptis et eorum singulis firmiter attendendis, adimplendis et inviolabiliter observandis quodque prefata omnia et eorum singula vera sint et in nullo unquam vacillent, ditte partes una alteri et altera alteri presenti, recipienti et stipulanti, ut supra, coram nobis eisdem iuraverunt et corporale tattis literis ad santa Dei evangelia prestiterunt iuramentum. Et fuit attum infra contrahentes eosdem, pro cautela uniuscuiusque ipsarum partium et earum heredum et successroum, quod si qua iuris vel fatti sollemnitas in presenti instrumento deficeret vel clausula, tacite et expresse intelligantur in eo et totiens corrigi // (c. 297r) et emendari possit quotiens opus erit, ad sensum et consilium sapientis eligendi per partem prefata observanti <sic> et non contravenienti <sic> et eius heredibus <sic> et successoribus <sic>, donec veniat ad lucidam formam veritatis et fatti substantia non mutata. Unde ad futuram rei memoriam et dittarum partium preces ac ipsarum et eorum heredum et successorum cautelam ac omnium quorum et cuius inde interest et interesse poterit in futurum certitudinem, fattum est exinde de premissis hoc presens publicum locationis terrarum instrumentum ad instantiam supraditti procuratoris per manus mei preditti notarii, signo meo solito signatum, mei cuius supra iudicis et nostrum subscriptorum testium signo et subscriptionibus roboratum.

2

Quod scripsi ego idem Nicolaus publicus ut supra
notarius qui premissis omnibus vocatus et rogatus
interfui ipsumque meo consueto signo signavi. (SN) Ego
Cesar Mazarella Potentinus regius ad contrattus iudex
in predittis interfui et me subscripsi et signum meum
apposui Io Angelo de Aponte de la città de Amalfi sono
testimonio Signum crucis magistri Ioannis Caroli Greci
de Potentia idiote et scribere nescientis ut dixit Io Angelo
de Vignola so testimonio de Potentia testor